

8
1754. 1.
15/

DISSE⁸TATIO IVRIDICA
DE
**MEDIIS ERVENDAE
VERITATIS
IN PROCESSIBVS**

QVAM
SVB AVSPICIIS DIVINIS
ATQVE

PRAESIDIO
MARTINI GOTTLIEB PAVLI

IVR. VTR. ET PHILOS. DOCTORIS

IVRIVM ET HISTORIARVM PROFESSORIS PVBLICI ORDINARII
ATHENAEIQUE INSPECTORIS

IN AUDITORIO MAXIMO

AD DIEM XXVIII MAII ANNI C¹⁰ CCCLIV
AB HORA IX ANTEMERIDIANA

PVBLICE DEFENDET
MVSIS PATRIIS VALEDICTVRVS

AVTOR
IOHANNES IACOBVS SALOMON
GEDANENSIS.

G E D A N I
TYPIS THOMAE IOHANNIS SCHREIBERI, SENATVS
ET ATHENAEI TYPOGRAPHI.

DISSESTITATIO IURIDICA
DE
MEDUS-BERENDEI
ÆRITATIS
IN PROCESSIBAS

MARTINI GÖTTINGE PAVEL
PRÆSIDI
IAR AUTI THINQOS BODTQES
LEWIS ET HISTORIALLUM PROLUSORUM IURIDICQDINUM
ALIQUAM QD INQDOLIS
ALIQUAM QD INQDOLIS
AB HODA XI. ANTRIPRIDI
MARES PATRIDI ET ALI TUDIARI
JOHANNES JACOBAS SARDONI
ET TUDIARI
JOHANNES JACOBAS SARDONI
ET TUDIARI



DE
MEDIIS ERUENDAE VERITATIS
IN PROCESSIBUS.



§. 1.

uum actiones hominum, quibus
quid ad actum perducitur in sen-
sus cadant, atque juxta commu-
nem loquendi morem *Factorum*
nomine insigniri soleant; evidenti ratione per-
spicitur *factorum* notitiam sensuum beneficio
acquiri.

Facta quid
sint et quo-
modo co-
gnoscantur?

§. 2.

Notitiam eorum, quae sensu duce cogno-
scuntur, vel propria experientia, vel aliena h. e.

Notitia re-
rum sensua-
lium in ge-

A 2

ex

4 DE MEDIIS ERUENDAE

nere quo- ex aliorum relatione consequimur; neque aliis
modo ac- modus ad notitiam rerum sensualium perve-
quiratur? niendi datur.

Omnem nostram cognitionem nisi ratione et experientia, vel propria vel aliena res in vulgus nota est. Quoniam itaque praeter universalia et singularia non dantur entia alia, universalia vero cognitione ratiocinando acquiratur; ad notitiam factorum, quae sensu duce cognoscuntur, (§. 1.) ideoque singularia sunt, ratiocinando peruenire non possumus, sed necesse est, ut vel propria experientia utamur, vel aliis sensu percepta nobis cum communicantibus credamus.

§. 3.

Facta laten-
tia nonnisi
ex aliorum
relatione
cognoscun-
tur.

Quodsi igitur factum ex propria experientia nobis non innotuerit, ejus notitiam nonnisi ex relatione aliorum consequi possumus. (§. 1. 2.) Quare veritatem facti latentem investigaturus, eos, qui referunt, quae sensu quomodounque perceperunt sollicite examinare, imo dispicere debet, num dictis eorum fides tuto adhiberi queat an minus.

Exinde liquet differentia, quae inter *veritates rationis*, scilicet universales et *veritates facti* intercedit, quarum priores ex aliis cognitis ratiocinando proprio marte erui possunt, posteriores vero fide testimoniorum unice nituntur, si propria experientia nobis non innoverint.

§. 4.

§. 4.

Quoniam facta in sensus incurront, (§. 1.)
necessitatem, ut sint omnimode determinata,
(§. 226. *Ontol.*) consequenter individua. (§. 227.
Ontol.) Quare, si plura facta inter se conferantur,
eorumque determinationes communes, vi
quarum similia sunt, inde abstrahantur, cum
individuorum similitudine partiali species, et
specierum similitudine partiali genus constituantur
(§. 233. 234. *Ontol.*), quin hoc modo facta
ad certa genera certasque species revocari possint
dubitandum non est.

Facta ad
sua genera
suasque spe-
cies revoca-
ri possunt.

Usi sumus in §. praesente et in sequentibus quoque
usurpabimus citationes ex operibus philosophicis majoribus Perill. L. B. de WOLFF, philosophi laude aeterna dignissimi, desumptas, quem felicitati generis humani ad tempus saltem datum, nunc praeitura morte proorsus erexit, omnes solidae doctrinae amatores deplorant. Neminem nos ideo virgula censoria notatum esse certo confidimus; cum intelligentium judicio dudum comprobatus fuerit mos veritatem propositionis deducendi ex principiis ante demonstratis, a quorum usu omnis certitudo in scientiis dependet. Ceterum non desunt exempla, quibus factorum ad sua genera vel species reductio commonstratur: ad quae tamen in refatis clara provocare superfluum fore arbitramur.

§. 5.

Cum genera et species definiri possint
A 2
(§. 172.)

Inde resul-
tat Theoria
factorum.

(§. 172. 173. Log.) factorum ad sua genera suasque species reductorum definitiones dari possunt. (§. 4.) Quodsi jam definitiones factorum plures inter se conferantur, ex iis colligi possunt propositiones vel theoreticae vel practicae, secundum leges methodi scientificae, atque sic cum praeter definitiones et propositiones non dentur veritates universales aliae, complexum veritatum universalium de factis quibuscunque obtinere licebit. Quamobrem cum complexus veritatum universalium dicatur *theoria* (§. 467. *Psychol. ration.*) *theoriam factorum dari* evidens est.

Completam factorum theoriam, in qua traduntur veritates universales ad judicium de factis in casu quovis ferendum sufficietes, in desideratis adhuc esse norunt intelligentes: eam tamen condi posse, si plures huic negotio pares, sociam operam conferre voluerint, omni vacat dubio. Utilitatem talis theoriae insignem in vita civili praesertim in foro, ubi jus facto attemperandum est, abunde perspectam habent, quibus notionum universalium usus in praxi indifpenfabilis probatur. Neque enim judicem decet coeca imitatio aliorum, qui in casu simili hanc vel illam sententiam tulerunt; sed ipsius potius est, jus quod facto competit ita definire, ut leges dextre applicentur, atque omnem movere lapidem, ut tali facto tale jus competere certus reddatur. Haec autem certitudo a theoria factorum maxima ex parte dependet, quae quippe factum quocunque certi generis vel speciei per suas circumstantias rite determinatum fit,

sit, ut illius ope cognosci queat, sub quoniam factorum genere vel specie factum quaestio[n]is s[ic!] individuum contineatur. Ponamus judicem in dato casu theoria factorum prorsus destitutum esse, is certe ignorabit, utrum factum istud singulare, cuius quasdam determinationes sibi jam cognitas reddidit, ad illud genus vel speciem factorum, de qua in lege firmo est, referri debeat, nec ne, imo neceſſe est, vt circa legis istius applicationem dubius haereat. Quamobrem, cum hujus theorie beneficio certior evadat legum ad facta applicatio[n]em, omnem operam in ea perficienda et completiore reddenda insumentam esse, patet; ne fororium, quod inter *Facti* et *Iuris-prudentiam* inferredit vinculum revellen-
do justitia damnum incurrat. Haec incidenter de usu theorie modo descriptae conimemorasse sufficiant, plura addere neque praelens institutum neque limites Dis-
sertationis permittunt.

§. 6.

Facta determinantur per actus simplices, tam internos quam externos atque per circumstantias sub quibus contigerunt. Etenim facta hominum sunt actiones, quatenus iisdem quid-
piam ab agente diversum ad actum perducitur,
quod ante non erat (§. 153. part. 2. *Philos. pract.*
univ.); actiones vero humanae ex actibus simpli-
cibus intellectus voluntatis et noluntatis atque fa-
cultatis locomotivae, (§. 70. part. 1. *Philos. pract.*
univer[s]i) h. e. ex actibus tam internis quam ex-
ternis componuntur. (§. 567. part. 1. *Theol. nat.*)

Quam-

Quaenam
sint ea, per
quae facta
hominum
determinan-
tur?

8 DE MEDIIS ERUENDAE

Quamobrem cum per eosdem intrinsece determinentur actiones humanae, (*§. 94. part. 2. Philosop. pract. univers.*) manifestum est, facta per actus simplices tam internos quam externos determinari. *Q.E. Primum.*

Porro quoniam facta ad actiones humanas referuntur, (*§. 153. part. 2. Philos. pract. univers.*) eadem vero per circumstantias extrinsece determinantur: (*§. 94. 95. part. 2. Phil. pract. univ.*) evidens est facta determinari per circumstantias sub quibus contigerunt. *Q.E. Alterum.*

§. 7.

De facti existentia vel possibilitate ex circumstantiis ejusdem judicare licet.

Circumstantiae rationem in se continent, cur factum ab ejus autore fuerit perpetratum, vel perpetrari potuerit. Etenim circumstantiae ad determinandam actualitatem actionis et moralitatem ejusdem aliquid conferunt. (§. 95. part. 2. Philos. pract. univers.) Quidquid vero ad determinandam actualitatem actionis aliquid confert, id rationem aliquam continere debet, cur actio ab agente committatur vel omittatur, seu committi vel omitti potuerit. (§. 116. Ontol.) In circumstantiis itaque continetur ratio, cur actio ab agente commissa vel omissa fuerit, seu committi vel omitti potuerit. Quamobrem cum

VERITATIS IN PROCESSIBUS.

9

cum facta determinentur per circumstantias sub quibus contigerunt: (*§. 6.*) circumstantiae rationem in se continent, cur factum ab ejus auctore fuerit, perpetratum vel perpetrari potuerit.

§. 8.

Quoniam circumstantiae dependent vel a personis agente scilicet atque aliis, vel a rebus, vel a loco atque tempore, (*§. 97. part. 2. Philos. pract. univers.*) qui rationes scire vult, cur factum ab ejus auctore fuerit perpetratum, vel perpetrari potuerit, circumstantias personarum rerum loci atque temporis investigare tenetur. (*§. 7.*)

Eum in finem circumstantiae personarum, rerum, loci et temporis investigatione suar.

§. 9.

Si factum est, quod esse affirmatur, vel non est, quod esse negatur *Factum logice verum*; in casu opposito *logice falsum* est. Inde patet *Veritatem logicam* in convenientia cogitationum nostrarum cum re cogitata, et *Falsitatem logicam* in inconvenientia earundem cum re cogitata consistere. Cum autem verba, quibus alteri mentem nostram declaramus cum cogitationibus nostris, vel convenient vel inconvenient in priori casu sermoni nostro *Veritas*

Definitio
Veritatis facti, Veritatis logicae, et moralis.

B

mora-



10 DE MEDIIS ERUENDAE

moralis, in posteriori *Falsitas moralis* inesse dicitur.

„Occurrit in historia Romana illustre exemplum, ad quod definitiones datae commode applicari possunt. Nimirum Appium Claudium amore Virginiae ita caput fuisse constat, ut cum indignos ipsius rogatus resipueret, dolo et fraudibus eadem potiri decerneret. M. Claudius, cui Appius nefandum consilium suum apperuerat, secundum fraudi spondebat euentum, atque subito Virginiam in jus vocans, eandem ex serva sua natam, furtoque inde in domum Virginii translatam sibi deberi praefente decenviro judge contebat. Appius interea, crimen quocunque suo amoris ignorendum esse opinatus, quamvis Virginius filiam suam liberam esse, eandemque se non ad stuprum, sed ad nuptias educasse asseverasset, Virginiam M. Claudii servam esse decrevit. Qua sententia obstupefactus pater Virginiam in libertatem vindicaturus necavit.“ Confer. *LIVIUS in hist. Rom. L. III. cap. 44. seqq.* Quis non videt Virginiae patrem, cum libertatem filiae suae defendaret, quain ex matre serva natam esse comminisebatur M. Claudius, et logice et moraliter vera locutum fuisse: e contrario vero famosissimum illum fraudum magistrum, qui omnem Romanum populum mendacio suo fallere intenderat, non logice solum, sed moraliter quoque falsa dixisse. At vero, quamvis in exemplo iam adducto, veriloquium cum veritate logica, et falsiloquium cum falsitate logica conjunctum sit, inde tamen inferri nequit, quod veriloquium veritatem logicam, et falsiloquium fallitatem logicam supponat. Experientia enim magistra edocemur multoties accidere, ut moraliter vera contra dicentis opinionem logice falsa sint; imo quoque non raro contingere, ut moraliter falsa loquens logice vera dicat.

§. IO.

VERITATIS IN PROCESSIBUS II

§. IO.

Qui veritatem facti cuiusdam certo cognoscere intendit, non actus solum simplices, tam externos quam internos, sed circumstantias quoque omnes sub quibus factum contigit sibi cognitas reddere tenetur. Quoniam enim veritatem certo cognoscit, qui omnia requisita ad veritatem adesse agnoscit (*§. 574. Log.*), ea vero per quae factum determinatur requisita ad veritatem istius sint (*§. 573. Log.*), qui veritatem facti certo cognoscere cupit, omnia ea, per quae illud determinatur sibi perspecta reddere debet. *Enimvero facta determinantur per actus simplices tam internos quam externos, atque per circumstantias sub quibus contigerunt.* (*§. 6.*) Ergo qui veritatem facti cuiusdam certo cognoscere intendit non actus solum simplices tam internos quam externos, sed circumstantias quoque omnes sub quibus illud contigit, sibi cognitas reddere tenetur.

Dubium forte videri posset, quod dictum fuerit in propositione praesente ad consequendam facti certitudinem opus esse, ut actus tam internos quam externos cognoscamus. Qui enim fieri poterit? ut latentes alterius cogitationes ipso invito nobis innotescant. Respondeamus illud omnino fieri posse, modo ad actus externos atque circumstantias debita afferatur attentio. Hi enim cum signa internorum sint, signatum quoque represe-

B 2 tant,

Quaenam
ad certitudi-
nem facti
logica m
consequen-
dam requi-
rantur.

tant, consequenter volitiones et nolitiones in anima alterius indicabunt, adeoque per eosdem v. gr. dolum, odium etc. cognoscere licebit, modo hi actus externi fuerint sinceri. Si ponas eosdem simulatos fuisse non ita facile ex actibus externis internos colligere datur, sed ut artem detegendi simulationem calleas, necesse est. Quare cum in detegenda simulatione conatus nostros persaepe eludat eventus, in omni quoque casu actus interni ope externorum praeceps cognosci non poterunt; sed a circumstantiis in re tam ardua omne expectandum auxilium, omnis lux foeneranda erit: quae quippe motiva agentis ad actionem committendam nobis nonnunquam revealant, (§. 7.) ut adeo ad notitiam actuum internorum mediantibus circumstantiis, quae factum vel antecesserunt, vel concomitantur, vel consecutae sunt, pervenire liceat. Ceterum qui perpendit, quae de consequenda certitudine facti in §. praef. dicta sunt; is facile largietur, in multis casibus prorsus impossibile esse, ut omnia requisita ad veritatem facti individualis cognoscantur, (quae probe discernenda sunt a requisitis ad veritatem facti certi generis vel speciei, in theoria factorum, cuius supra §. 5. mentionem injecimus, tradendis). Quamobrem, ne lites in infinitum protrahantur, atque partes cum ingenti opum suarum dispendio in consequendo jure suo impediantur; consultum non est, ut in processibus praesertim civili minutissima quævis ad amissim scrutentur, sed in indaganda veritate facti talia requisita adesse sufficit, quae maximam probabilitatem generant. Nihil enim rationi magis convenient, quam ubi certitudo haberi nequit, id sequi, quod inter plura probabilia probabilissimum est.

§. II.

Definitio
mediorum

Cum medium dicatur id, quod rationem in

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 13

in se continet, cur finis actum consequatur.
*(§. 937. Ontol.) Media eruendae veritatis erunt
ea omnia, quorum ope veritas facti latens in
apricum producitur, s. quae in causa sunt, ut
de veritate facti constet.*

§. 12.

Factum in judicium deductum, ut controversia ratione illius exorta, autoritate judicis secundum leges praescriptas componatur, *Causa* dicitur, quae si privati juris vel commodi acquisitionem exsecutionemque concernit, *Civilis*; quodsi vero ea delictum commissum ejusque coercitionem spectat, *Criminalis* dicitur.

eruendae
veritatis.

Definitio
causae civili-
s et crimi-
nalis.

§. 13.

Judicium, in quod deducuntur causae controversiae, est legitima disceptatio inter actorem et reum apud judicem competentem litis finiendae, vel maleficii puniendi gratia. Disceptatio haec debet esse *legitima*, i.e. peragi debet secundum modum et ordinem hunc in finem a legislatore praescriptum, atque hic Ordo, hic Modus tractandi causas controversias in judicio dicitur *Processus*, qui prouti causa in ju-

ni
indilectio
ministratio
iunctio
duo
Definitio
Processus et
civilis et cri-
minalis.

B 3 dicium

14 DE MEDIIS ERUENDAE

*es nobis
sunt
dicitur
Civilis dicitur, vel Criminalis.*

Nimirum quando actor judici factum narrat, reus ad narrationem actoris respondet, probations, exceptiones adducuntur, atque judex sententia sua controversiam litigantium dirimit, causae controversiae in iudicio tractantur. Quod ad modum easdem tractandi, seu formalia processus attinet, judex ordinem sequitur, si primo loco, quae circa causae cognitionem, deinde vero, quae circa decisionem controversiae leges civitatis praescribunt, observat; et partes ordinem sequuntur, quando modum jus suum deducendi secundum civitatis statuta determinant, quae quoad ea, quae coram judice peragenda sunt, et actori et reo certas regulas praescribunt.

§. 14.

Judex in processibus in veritatem facti inquire atque formalia processus observare tenetur.

In processu tum civili tum criminali judicis est, nihil praetermittere, quod ad veritatem facti atque circumstantiarum investigandam quidam conferre potest, imo ipsius quoque est solennitates seu formalia processus observare. Etenim in processu tum civili tum criminali causae controversiae tractantur (§. 13), earumque tractatio eo fine in iudicio suscipitur, ut judicis sententia definitur jus in controversiam adductum (§. 12). Jam quoniam jus non nisi ob factum tribui potest, id quod per se patet, judicis vero sit curare, ut unicuique jus suum tribuatur, et unus-

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 15

unusquisque adversus injurias aliorum defendatur (*§. 538. part. 8. Jur. nat.*) judex in processu tum civili tum criminali curare debet, ut ipsi constet, utrum factum sit nec ne, quod factum vel non factum esse dicitur; s. quod tale sit factum quale narratur. Quamobrem cum factum logice verum sit, si quod factum esse affirmatur, est, quod negatur, non est (*§. 9.*) judex in processu tum civili tum criminali in veritatem facti, quod ipsi narratur, inquire, consequenter nihil praetermittere debet, quod ad eam investigandam quidpiam conferre potest. *Q. E. Unum.*

Porro quoniam facta determinantur per circumstantias sub quibus contigerunt, (*§. 6.*) judex in processu tum civili tum criminali *per demonst. num. 1.* nihil praetermittere debet, quod ad veritatem circumstantiarum investigandam quidpiam conferre potest. *Q. E. Alterum.*

Denique quoniam judex legibus obtemperare, et, quod circa modum causas controversas in iudicio tractandi longa fori consuetudine introductum fuit, sedulo observare obligatur; formalia vero processus, seu solennitates adhiberi solitae vel lege praescribantur, vel longa consuetudine

suetudine fori introductae sint, judicis officium esse patet, formalia processus observare.

E. Tertium.

§. 15.

De veritate
facti logica
ex testimoniis
depositione
constat.

Ille probare dicitur, qui efficit, ut, quod dubium erat pro logice vero haberi debeat. Probatione igitur efficitur, ut de veritate facti logica constet. Quare cum facta per testes probentur (*§. 1014. part. 5. Jur. Natur.*) de veritate facti logica ex testimoniis depositione constare debet.

Quoniam testes non sunt, nisi qui fidem facto faciunt, seu efficiunt, ut dictis eorundem assentiendum sit; iidem in causa sunt, ut de veritate facti constet, consequenter eorundem *testimonia media eruendae veritatis* sunt. (*§. 11.*)

§. 16.

Quando
per testes de
veritate fa
cti certo,

Quoniam requisita ad hoc ut alter verum dicat, duo sunt, nimirum 1) ut norit facti veritatem, et 2) ut eandem eloqui velit (*§. 613. Log.*) si perspectum tibi fuerit, in teste neutrum horum requisitorum desiderari, omnia requisita ad id, ut is verum dicat, cognoscis. Quamobrem cum veritatem certo agnoscat, qui omnia requisita ad veritatem adesse cognoscit

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 17

scit (§. 574. Log.) si perspectum tibi fuerit, testem veritatem facti nosse, et eandem eloqui velle, de veritate ejus, quod factum esse dicit, certus es.

Quodsi vero quaedam saltem rationes tibi fuerint perspectae, quae, in teste neque hoc, neque illud desiderari requisitum, evincunt, omnia requisita ad id, ut testis verum dicat, cognita tibi non sunt, consequenter veritatem ejus, quod is afferit, nonnisi probabiliter cognitam habes. (§. 578. Log.)

Qui perpendit, quam multa requirantur, ut de veritate ejus, quod testis afferit, certi simus, si facile largietur, veritatem facti circa quod propria experientia destituimur, semper certo cognosci non posse. Etenim propria experientia destitutus veritatem facti latentem nonnisi ex aliorum relatione cognoscere valet (§. 3.), consequenter de eadem ipsis constare nequit, nisi in autoritatem eorum, qui illud ipsis referunt, inquirere voluerit (§. cit.). Jam quoniam de eo, quod testis vera narraverit, certi esse non possumus, nisi perspectum nobis fuerit, quod veritatem facti norit, eandemque cloqui velit (§. praef.), ad certitudinem facti logicam requiritur, ut utrumque requisitum certo cognoscamus. Quod ad primum requisitum attinet, notandum est, quod nobis in plerisque casibus probabiliter saltem notum esse possit, quod testis ad omnes facti circumstantias attenderit, quia hujus rei investigatio a latentibus animae actibus, quos nemo hominum in animo alterius certo cognoscere valet, dependet. Idem etiam de alte-

C

ro



ro requisito dicendum est. Quamvis enim nullae rationes adesse videantur, ob quas testis ex falsa narratione boni quidpiam consequi possit, vel ex vera narratione mali quidpiam metuere debeat, adesse tamen possunt rationes testi solummodo notae ad veritatem celandam eundem permoventes, quas ob imperscrutabilitatem latenter et receffum in animo ipsius certo cognoscere non valemus. Quamobrem cum certitudinem facti logicam ex relatione aliorum in plerisque casibus consequi non licet, quod in summo gradu probabile est, in vita civili pro logice vero admitti debet.

§. 17.

In veritate facti investiganda, standum est probabilitate, quando haberi nequit certudo.

Quoniam, ubi certitudo haberi nequit, probabilitas occupat locum veritatis; si adfuerint rationes probabiles, per quas factum quid esse vel non esse appareat, eaedem in causa sunt, ut id, quod per eas colligitur, pro logice vero haberi debeat. Quare *de veritate facti logica per rationes probabiles constare debet, quando certitudinem obtinere non licet.*

Hasce rationes probabiles ponderare, seu gradus probabilitatis positivè assignare, res sane difficillimi negotii est; neque ullus Philosophorum hactenus extitit, qui pro dignitate materiae hanc doctrinam excusserit, eti Vir summus Christian. Hugenius in tractatu de ratiociniis in ludo aleae, et Nicol. Bernoulli in pererudita Dissert. de arte conjectandi in jure, praecolla hac in re specimina dederint. Quare cum principia specialia, ex quibus, quod quid in casu particulari vel singulari probabile sit, concludendum est, deficiant, quae in Logica

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 19

ca probabilitum, hucusque nondum exulta, tradenda sunt, ubi de probabilitate ferendum judicium, principiis vulgaribus utendum est, quae experientia quotidiana comprobantur; immo in pronuntiando id semper sequendum est, quod pluribus rationibus assentiendi, gravitate intrinseca praeponderantibus, stipatur.

§. 18.

Cum in *prae*sumptionibus** res dubia in causa singulari colligatur per rationes probabiles (§. 244. part. 2. *Jur. Nat.*), atque *indicia* rationes probabiles veri latentis sint (§. 876. part. 2. *Philos. pract. univers.*) ubi certitudo in processibus haberi nequit, quam raro consequi licet (§. 16. *in not.*), pro logice vero habendum est, quod *prae*sumitur**, atque per *indicia* de veritate facti logica constare debet (§. 17.).

Praesumptiones a DD. communiter diuiduntur in
praesumptiones *hominis* s. *judicis*, *juris*, atque *juris et de jure*. Piores duae species non sunt nisi conditionales, ut tamdiu saltem, quod praesumitur, pro vero haberi debeat, donec contrarium fuerit probatum. Quod vero ad praesumptiones *juris et de jure* attinet, ego sane non video, quomodo haec ad praesumptiones referri queant. Etenim quod lex pro vero haberi jubet, illud certe contrarii probationem admirtere nequit, quam tamen omnis praesumptio vi definitionis admittit; sed pro absolute vero habendum est. Confer. Beyerus in *Delin. juris civilis ad tit. de Probat. et Praesumpt. in nos.*

C₂

244

num. 46. *subjecta et Lauterbachius in Comp. Jur. p. m.*
 424. Ceterum attendenti facile patet praesumptiones juris et hominis non differre, nisi quod in illa probabilitas inducatur ex circumstantiis, quae certo factorum generi vel speciei adhaerent, in hac vero ex illis faltem circumstantiis, quae factum individuale comitantur quamvis Beyerus l. c. nullam plane differentiam inter memoratas hasce praesumptionum species intercedere statuat.

Veritas facti logica per testem, qui praesumitur moraliter falsa dicere, explorari nequit.

§. 19.

Si praesumendum quod testis moraliter verum non dicturus sit, de veritate facti logica per eundem constare nequit, antequam praesumptio elidatur. Etenim praesumptionibus tantum standum est, donec elidantur (§. 247. part. 2. *Jur. nat.*). Si itaque praesumendum, quod testis moraliter verum non dicturus sit, rationes probabiles adsunt, per quas appareat, eundem non dicturum esse, quae facta esse novit, sed talia potius, quae facta non esse novit (§. 244. part. 2. *Jur. Nat. et §. 9.*). Quodsi jam dicat, quae nunquam contigisse bene novit, ea facta esse asserit, quae facta non sunt consequenter logice falsa (§. cit.). Quamobrem cum per testem logice falsa loquentem de veritate logica constare nequeat (§. cit.), si praesumendum, quod testis moraliter verum non dicturus sit, de

de veritate facti logica per eandem constare nequit, antequam praesumptio elidatur.

Quando itaque facta per testes probanda sunt, et reus testimoniū ab actore pro se productum de moraliter falso dicendo suspectum reddit de veritate testimonii constare nequit, antequam testimoniū se liberaverit a suspicione contra ipsum mota. Quia enim dum moraliter falso loquitur, fallere alterum intendit, ipsius testimonio nulla prorsus fides habenda est. Rationes autem ob quas testimoniū moraliter falso dicturus praesumuntur, pro varietate circumstantiarum variae esse possunt. Etenim si compertum fuerit, testimoniū ab ea parte, quae illum pro se producere vult pecunia esse corruptum; vel ipsi a parte adversa contra quam producendus est, insigne damnum metuendum esse, vel quod affinitas, atque amicitia singularis inter testimoniū et producentem intercedat, vel quod odio insigni, prosecutus fuerit eum, contra, quem producendus est, is certe moraliter verum dicere velle praesumti nequit. Quare cum testimonia esse debant media eruendac veritatis, judici probe dispiciendum est, ne ad probanda facta admittantur testimoniū, quorum fides vacillat.

§. 20.

Quoniam de veritate facti logica constare nequit per testimoniū, contra quem militat praesumptio, quod moraliter falso dicturus sit, antequam ea elidatur (§. 19.); judicis vero officium in processibus sit omnem operam eo impendere, ut de veritate facti logica constet, (§. 14.) ipsius quoque erit curare, ut haec

Quando ad
elidendam
hanc praesumptio-
nem jura-
mentum te-
stifici a judice
de fe ren-
dum?

praesumptio elidatur. Quamobrem, cum testis juratus non praesumatur moraliter falsum loqui, (§. 1041. part. 5. *Jur. nat.*) juramento haec praesumptio elidenda est. *Enimvero si plurimum interfit, ut alter de veritate testimonii certus reddatur, neque asseveranti tuto credendum sit, testi de pejeratione vel perjurio minime suspecto, probatione alia deficiente, juramentum deferre licet.* (§. 916. 922. 938. part. 3. *Jur. nat.*) *Quare judex testi, contra quem militat praesumptio, quod moraliter falsum dictritus sit, modo de pejeratione vel perjurio minime suspectus fuerit, et plurimum interfit, ut de veritate testimonii certus reddatur, asseveranti vero tuto credendum non sit, alia probatione deficiente juramentum deferre tenetur.*

Nimirum in teste requiritur notitia facti et animus moraliter verum dicendi (§. 1015. part. 5. *Jur. Nat.*) Testis igitur esse nequit, qui moraliter falsum dicit, con sequenter si praesumatur moraliter falsum dicere de veritate facti ex illius depositione constare non potest. Quodsi vero notitiam facti habeat, ob probabiles tamen rationes de moraliter falso dicendo suspectus sit, atque hanc suspicionem a se dimovere valeat; quin de veritate facti logica per eundem constare possit, dubitandum non est. Jam vero quando per DEUM testimoni et vindicem mendacii veritas dictorum probatur, praesumentum amplius non est, quod jurans moraliter falsum dictritus sit, nisi rationes peculiares in contrarium adfint, quae tamen adesse non intelliguntur in eo, qui vim jura menti

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 23

menti perspectam habet. Deficientibus itaque hisce rationibus testis a suspicione contra ipsum mota, juramento praefrito liberatur; neque illum amplius dubium de veritate dictorum remanere videtur. Quoniam itaque juramento probatur veritas moralis, ut de veritate logica, quam aliunde cognoscere non datur, constet; *juramentum admodum probabile medium eruendae veritatis est* (§. 11.), modo a temerario ejus usu judices abstineant, qui, iis observatis, quea in praesente propositione traduntur, metuendus non est.

Neque Jusjurandum tantum ad elidendum hanc prae-
sumptionem peropportunitum est subsidium, verum et-
iam, si super uno eodemque facto controverso duo plu-
res exaudiantur atque examinentur testes. Hinc uti-
que illud, quod constitutum est Numer. XXXV. 30.
Deut. XVII. 6. XIX. 19. rationi optime congruit, ne
seilicet *unius* testimonium ad causae cuiuslibet decisio-
nem valeat, non solum, quia unus facilius decipi, cor-
rumpi, aut mentiri potest, quam plures, et quia, uti
Plinius H. N. Lib. VIII. cap. 22. loquitur, *nullum tam impudens mendacium est, ut teste careat;* sed etiam,
quia a cordato judice mendacia testimoniū deprehendi pos-
sunt, si diversi interrogentur. Quot vero testes ad eli-
dendum hanc prae-
sumptionem, et comprobandum rei
controversiae veritatem sufficiant, hoc in Jure Naturae
definitum non est. Certiora multo, magisque deter-
minata hac in re sunt Jura civilia, at enim vero ea hoc
loco nos non moramur.

§. 21.

Si ex depositionibus testimoniū veritatem facti logicam cognoscere volueris; necesse est, ut iidem

Requisita
ad verita-
tem facti ex

24. DE MEDIIS ERUENDAE

testium de-
positione
eruendam.

*iidem notitiam facti habere et moraliter verum dicere praesumantur, eorundemque attestata in se contineant circumstantias, quae sibi invicem non repugnant, neque inter narrata antecedentia et consequentia ulla locum habeat contrarie-
tas, et denique ut ex narratione exulet, quod veritati certo agnitae repugnat.* Quoniam enim ex testium depositionibus de veritate facti logica constare debet (§. 15.), atque in teste requiritur notitia facti et animus moraliter verum dicendi (§. 1015. part. 5. *Jur. Nat.*), si ex depositionibus eorum, qui ad testimonium affe-
rendum adhibentur, veritatem facti cognosce-
re volueris, necesse est, ut iidem notitiam facti habere, et moraliter verum dicere praesuman-
tur (§. 18. 19.). *Quodsi jam tales ad proban-
dum factum fuerint adhibiti in autoritate eorun-
dem praesumpta non sufficit acquiescere, sed necesse quoque est, ut perspicias, narrata ipsa tanquam probabilia admitti posse.* Si enim po-
nas, narrationem eorundem falsam esse, per se patet, nos veritatem facti ex eorundem depo-
sitione cognoscere non posse. Ut igitur constet narrationem eorundem falsam non esse, ex depositionibus testium ad articulos examinato-
rum s. attestatis exulare debent ea, per quae fal-
sitas

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 25

sitas narrationis agnoscitur. Quamobrem cum narratio falsa sit, in qua continentur, quae vel sibi mutuo, vel veritati, certo agnitae, repugnant (*§. 622. Log.*), si veritatem facti ex testium depositionibus cognoscere volueris, necesse est, ut attestata in se contineant circumstantias, non solum in se possibles, verum etiam sibi mutuo non repugnantes, imo ut inter narrata anteecedentia et consequentia nulla locum habeat contrarietas, et denique, ut ex narratione exulet, quod veritati certo agnitae repugnat.

Nimirum quia judex, veritatem facti latenter ex testium relatione eruturus, se circumspectiorem praebere nequit, quam ubi et in autoritatem testium, et in rei narratae veritatem inquirit, si, quae in §pho praesente traduntur, in processu, tum civili tum criminali, sollicite obseruentur, metuendum non est, ne judex falsa testium narratione decipiatur. Etenim cum ostensum fuerit in §. 16. quando de veritate facti ex testium relatione certo, quando probabiliter constet, et in Schol. eidem §pho subjecto commonstrarerimus, quod certitudinem facti logicam ex relatione aliorum in plerisque casibus consequi non licet, atque in §. 17. dictum fuerit, quod deficiente certitudine standum sit probabilitate, ideoque praefumptionibus locus concedendus sit (*§. 18.*); in autoritatem testium inquisitus prae sumptione notitiae facti et voluntatis moraliter verum dicendi contentus esse debet, adeoque testes oculatos et integros, autoritatis quippe minime suspectae ad probandum factum tuto admittere potest. Quoniam tamen haec prae sumptio non nunquam fallit, autoritas sola non sufficit, ut fides di-

D

ctis

Etis testimoniū praebeatur, sed ut accedat intrinseca narratōrum possibilitas, quae necessarium ad veritatem facti requisitum constituit, necesse est. Quoniam nobrem judex attestata testimoniū ad articulos s. propositiones determinatas examinatorum inter se conferre tenetur, ut perspiciat, num inter se consentiant an minus. Quod si ex collatione appareat, testes idem affirmasse vel negasse, de consensu attestatorum, consequenter de probabilitate narrationis dubitandum non est: modo tales contineant circumstantias, quae per se contradictionem non involvunt, vel quarum una vel altera posita, reliquae simul locum habere queunt, atque nihil narratum fuerit, quod manifestis veritatibus vel sensuum vel rationis adversatur. Enumeravimus jamjam primaria requisita ad veritatem facti ex testimoniū depositionibus eruendam, quae materialia examinis constituent. Quod ad formalia attinet, quae circa rotulū conficiendum attendi debent, notandum est in processu ordinario probationem plenam a Practicis includi his requisitis 1) ut judex, coram quo agitur, sit competens, 2) ut quisque testimoniū post libellum oblatum et responsonem ad eundem a parte adversa factam, intra terminum probatorium qui peremptorius est, ad articulos probatoriales separatis examinetur, 3) ut parti adversae communicentur articuli probatoriales ad interrogatoria formanda, 4) ut testimoniis deferatur juramentum, quibus non juratis non creditur, 5) ut partes ad videndum jurare citentur. Plures regulas speciales circa examen testimoniū observandas, qui cognoscere voluerit, eum non poenitebit evolvisse Cel. Brunnemann Proces. Civil. cap. 20. de Testibus et Griebneri Princip. proces. judiciar. L. I. cap. 3. sect. 2. de Productione refutum. Actum fuit in antecedentibus de veritate facti ex testimoniū depositionibus eruenda; deveniendum igitur est ad instrumenta, quae tanquam testimonia scripta probationi factorum inserviunt.

§. 22.

§. 22.

*Si producantur instrumenta, quae pars aduersa, contra quam producuntur, tanquam verae admittere tenetur, et adversus quae nihil excipere valet, ea in causa sunt, ut de veritate facti, quod in iisdem describitur constet. Etenim per instrumenta, quae pars aduersa, contra quam producuntur, tanquam verae admittere cogitur, et adversus quae nihil excipere valet, probantur facta (§. 989. part. 5. *Jur. nat.*). Quamobrem cum probatione efficiatur, ut de veritate facti logica constet (§. 15.), talia instrumenta in causa sunt, ut de veritate facti, quod in iisdem describitur, constet.*

Quando
instrumenta
media eru-
endae veri-
tatis sint?

Instrumentorum nomine in genere quidem subinde omnia ea accipiuntur, quibus causa quaedam instruiri potest, et ideo tam testimonia, quam personae instrumentorum loco habentur, ait hoc loco instrumentorum significatio angustior est, complectens quippe tantum scripturas ad fidem rei gestae faciendam confectas. Quare Caius l. 4. D. de Fid. Instr. Fiunt, inquit, *scripturae, ut, quod astum est, per eas facilius probari possit.* Optimo igitur jure mediis eruendae veritatis annumeranda sunt instrumenta, perinde ac testimonia, a testibus fide dignis allata. Quin imo plus defertur fidei instrumentis authenticis et nulla corruptela vitiatis, quam dictis testimoniis. Nam complurium hominum memoria labilis, aut fluxa fides, scripta vero oblivioni aut perfidiae neutiquam ita obnoxia. Nuda quoque verba frequenter hac exceptione eluduntur, quod per praecipi-

tantiam, aut re non recte perspecta fuerint prolata, quam exceptionem scripta quoque excludunt, quippe quae dum concipiuntur, clare admodum, et non sine mora aliqua pacientis animo rem subjiciunt, ut siquidem haec adprobaverit, plene in rem ipsam consensisse omnino judieandus sit, sic ut postea ne quidquam affectus aut animi impetus obtendatur. Nec tam facile argutis interpretationibus detorqueri scripta queunt, quam verba ore prolata, in quibus particula aliqua captiose interpretata, quae per celeritatem pronunciationis non animadvertebatur, totam sententiam invertere potest, cui incommodo scripta haudquaquam ita sunt subjecta, et quae sunt reliqua, quae hac de re disputari possunt, quaeque cum cura exsequutus est *Samuel a Pufendorf in J. N. et G. Libr. III. cap. VI. §. 16.*

§. 23.

Si pars ad-
versa instru-
mentum re-
cognoverit;
de veritate
illius dubi-
tandum non
est.

*De veritate instrumenti ex recognitione
partis adversae constat.* Quoniam enim pars
adversa instrumentum recognoscens sufficienter
declarat se illud scripsisse, vel in subscriptio-
nem ab alio factam consensisse, ipsa hac recog-
nitione instrumentum contra se productum
tanquam verum admittit, exceptionibusque fi-
dem illius infringentibus renuntiat. Quamob-
rem cum de veritate ejus quod in instrumento
continetur, constet, si pars adversa illud tan-
quam verum admittat, nihilque aduersus idem
excipere valeat (*§. 22.*): de veritate instru-
menti

VERITATIS IN PROCESSIBUS. 29

menti ex recognitione partis adversae constare, patet.

Quando itaque veritatem instrumenti nosse desideras, opera danda est, ut illud recognoscatur vel ab ipsa parte adversa, vel a testibus si qui fuerint adhibiti; quorum recognitione veritas instrumenti perinde, ac partis adversae recognitione manifesta redditur (*I. 15.*). Quodsi enim instrumentum a testibus subscriptum et ab iisdem recognitum fuerit, cum illud pro vero habendum sit (*I. 1002. part. 5. Jur. nat.*) de veritate facti, quod in eodem delcriptum est constat, et si pars adverba illud non recognoverit. Sin autem testes haberi non possint, et pars adversa excipiat instrumentum neque sua manu neque ex mandato suo conscriptum esse, sed alium potius suam manum imitatum fuisse; suspicio adeat, quod instrumentum supposititum fuerit productum, quac augetur, si vitium in charta vel in litteris et notis numericis commissum esse monstrare potuerit. Quare cum instrumento probari nequeat factum, contra quod militat praefumption, quod supposititum fuerit, antequam ea elidatur, judicis est, per artis scriptoriae peritos, *comparationem litterarum instituere*, ut pars adversa ex accurata scripturarum convenientia se illud scripsisse convincatur, uti DD. communiter sentiunt, vid. *Brunnemanus in Process. civil. cap. 19. n. 19. seqq. et Beyerus in Del. Jur. Cir. ad tit. ff. de fide instrument. p. 29.* Cum tamen fieri possit, ut in instrumento a parte adversa, fraudibus scilicet intenta, eo quo scriptum est tempore, litterarum ductus a consuetis plane diversi formati fuerint, nemo non videt comparationem litterarum ad eruendam veritatem instrumenti medium admnodum fallax esse. Accedit quod persiepe plurim scripture cum ea quae instrumento legitur, similitudinem habeant, quare etiam *Justinianus id coercuit l. 20.*

30. DE MEDIIS ERUENDAE IV

et Auth. sugg. C. de Fid. Instr. vetans litterarum compariationem fieri, nisi ex scriptura, habente subscriptio-
nem trium testium, quamvis etiam hoc in casu compari-
ratio litterarum semper sit maneaque incertum subsi-
dium, maximeque dubium.

§. 24.

Instrumen-
tum publi-
cum absque
recognitione
adversarii
probatur.

Quoniam instrumentum publicum vocatur
quod a persona in officio publico, autoritate
principis constituta, seu a magistratibus confe-
ctum et confirmatum est, tales vero personae
ab omni fraude quam maxime abstinere praefun-
duntur; si instrumenti alicujus veritatem
attestentur magistratus; illud contra partem
negantem pro vero habendum est, atque adeo,
instrumentum publicum absque recognitione ad-
versarii pro vero admittendum.

§. 25.

Ut de falsi-
tate instru-
menti, quod
reus reco-
gnoscere de-
trectat, con-
stet eidem a
judice jura-
mentum dis-
sessionis de-
ferendum
est.

Si contra reum instrumentum recognoscere
recusantem militent praesumptiones, quod scilicet
ab ipso vel sua voluntate conscriptum aut suo si-
gillo munitum sit; juramentum purgatorium
reum a judice deferendum est. Si enim contra
reum, qui instrumentum recognoscere detrectat,
militant praesumptiones, quod illud ab
ipso vel sua voluntate conscriptum, aut suo si-
gillo

gillo munitum sit, cum praesumptionibus tamdiu standum sit, donec elidantur (*S. 247. part. 2. Jur. Nat.*) illud tamdiu pro vero habendum erit, donec pars adversa easdem elisert. Quamobrem cum hae juramento eliden-dae sint (*S. 1060. n. 3. part. 5. Jur. Nat.*), et juramentum quo quis praesumptiones adversus se militantes elidit, purgatorium dicatur (*S. 1065. ibid.*), reus instrumentum recognoscere recusans illud praestare tenetur; ut de falsitate instrumenti producti constet. Quare cum judex in processibus nihil praetermittere debeat, quod ad veritatem facti controversi investigandam adeoque ad falsitatem ejus detegendam quidpiam conferre potest (*S. 14.*), praesumptionibus vero contra reum instrumentum recognoscere recusantem militantibus jura-mento purgatorio elisis, falsitas instrumenti de-tegatur *per demonstr.*; in casu propositionis praesentis, juramentum purgatorium reo a ju-dice deferendum esse patet.

Non opus est, ut in propositione jam demonstrata mentio fiat cautionis, quae in genere in omni juramenti delatione, adeoque etiam ubi purgatorium deferendum adhiberi debet; quod scilicet deficiente alia probatione plurimum interesse debeat, ut de veritate facti probandi constet, neque assieveranti tuto credendum sit, et denique quod is cui id deferendum, nec pejerare vel perje-

rare praesumendus sit, quemadmodum jam supra ad §. 20. annotavimus. Ceterum cum jurans instrumentum a se vel sua voluntate, conscriptum esse, seu verum esse, quod adversus ipsum praesumebatur, diffiteatur, per se patet juramentum purgatorium ab ipso praestandum, idem esse cum juramento confessionis, cuius usum DD. commandant, vid. Brunnemannus in Process. civili c. 19. num. 30. et ibidem allegati.

§. 26.

Instrumen-
tum pro ve-
ro haben-
dum, quan-
do reus ju-
ramentum
confessionis
sibi delatum
non praec-
stat.

Si reus juramentum purgatorium sibi super instrumento delatum non praefat; idem pro vero habendum est. Etenim si reus juramentum hoc sibi delatum non praefat, is non jurat, consequenter præsumptiones adversus ipsum militantes non eliduntur (§. 1060. 1065. part. 5. Jur. Nat.). Quoniam itaque reo instrumentum recognoscere recusanti juramentum purgatorium a judice deferendum est, quando adversus ipsum militant præsumptiones, quod illud ipse conscriperit, vel suo nomine conscriptum et subsignatum sit (§. 25), quod autem praesumitur, tamdiu pro vero haberi debeat, donec contrarium fuerit probatum (§. 247. part. 2. Jur. Nat.), instrumentum, super quo reus juramentum purgatorium sibi delatum non praefat, pro vero habendum est.

Quia

Quia enim ex recognitione partis adversae vel testimoniis de veritate instrumenti constat (§. 22. et in not.), si per hypoth. reus instrumentum recognoscere nolit, nec testes adint, quibus veritas ejusdem probari possit, ad instrumenti controversi veritatem eruendam non aliud suppetit medium quam juramentum. Quodsi jam adversus reum militent praefumptiones, quae juramento purgatorio elidenda sunt (§. 25.), isque illud sibi delatum non praestet, non aliud exinde intelligitur, quam quod praefumptiones hasce elidere nequeat. Permittere itaque debet, ut instrumentum controversum contra ipsum pro vero habeatur, cum tacite illud recognovisse dicendus sit.


§. 27.

Et hactenus quidem de duobus prioribus modis eruendae veritatis in Processibus, scilicet de testibus, deque instrumentis eorumque fide diximus secundum principia illius juris, quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, quodque apud omnes peraeque custoditur. Plura supersunt alia media eruendae veritatis in Processibus genuina et spuria, certa et incerta, v. g. Jusjurandum, Tortura, Ordalia olim frequentissima, et quae sunt reliqua, quae utique merentur, ut aequa ac ista duo priora, de quibus hucusque diximus, secundum rectae rationis dictamina examinentur. Et, ut dicam, quod res est, ita ego etiam apud animum meum

E

consti-

constitueram. At enim vero, quod proxime instat, iter, illud tot ac tanta praeter omnem spem et opinionem objecit impedimenta, ut, quam meditabar hujus argumenti pertractationem plenam, ad finem perducere nequeam. Quodsi vero hisce meis meditationibus haec contigerit felicitas, ut viris eruditis non prorsus displiceant; alio tempore hos meos inceptos labores non tantum continuabo, et ad finem perducam, verum etiam his Juris Naturae praecepsis ea, quae Jura Civilia tam Romana quam Hodierna et Patria de ipsis eruendae veritatis mediis in Processibus constituunt, sub jungam.



Viro

Viro

Nobilissimo Doctissimoque

IOHANNI IACOBO SALOMON

Gedanens.

Dissertationis Auctori

S. P. D.

MARTINVS GOTTLIEB PAVLI.

Quam Tu, *Nobilissime SALOMON*, paucis abhinc diebus mecum communicasti Dissertationem, a Te summa cum diligentia elaboratam, eam ego Tibi in praesenti reddo, summaque cum animi mei voluptate officium dulce profecto atque iucundum, quo me fungi voluisti, cum, ea ad me delata, me Tibi in ea defendenda operam dare velle ostenderes, subeo. Pertractas in hac Tua Dissertatione doctrinam utilissimam dignissimamque de mediis erudendae veritatis in Processibus, cumque Iura naturalia a ciuilibus, vt in aliis doctrinis quam plurimis, ita et in hac subinde recedant quam maxime atque posteriora prioribus addant multa, et quae non satis semper determinata sunt, accuratius determinent, hac quidem vice, ea tantum pertractasti, quae naturalis ratio hac de re inter omnes homines constituit, quaeque apud omnes

E 2

homines



homines peraeque custodiuntur, quin immo,
cum haec doctrina Iuris Naturae tam diffusa sit,
vt ea vna in Dissertatione vix satis commode
pertractari potuerit: ob hanc materiae copiam
vbertatemque, atque ob temporis penuriam
Tuarum hac de re meditationum praesenti in
Dissertatione partem tantum sistis priorem, iis,
quae adhuc restant, ad aliud tempus aliquique
locum remissis. In hac autem Dissertatione Tua,
quae quanta quanta est, Te habet auctorem, sem-
perque habebit, tantam diligentiam, tamque ele-
gantem vbiique monstrasti doctrinam, vt plane
non possim, quin ego hac de re Tibi, Reipubli-
cae atque Iurisprudentiae ex animo gratuler, Pa-
triae Tuae atque Athenaeo Gedanensi quamplu-
rimos optem Tui simillimos Ciues, denique vero,
cum iam iam studiorum Tuorum magis magisque
perpoliendorum cauſa, iter mediteris, quin omnia
cupiam ex sententia et ex merito bene feliciter-
que euenire. Quod reliquum est, instantem tuam
professionem amore prosequar; redditum spe
exspectem, Te absentem semper memoria colam,
omneque desiderium Tui litteris mittendis acci-
piendisque, quantum quidem fieri potest, le-
niam. Vale. Scribebam Gedan, d. xxvii, men-
sis Maii A. O. R. cīo Iō cc līii.

Saepe

Saepe fur, dignus laqueo, fefellit
 Judicem justum, facinus negando:
 Non luit poenam male delitescens
 Criminis auctor.

Quem tribunal Themidos severo
 Fama suspe^{tum} sceleris patrati
 Fecerat, judex dubius remisit
 Non sine culpa.

Veritatem non potuit latenter
 Assequi, quod non, quibus eruatur
 Causa solvatur quibus intricata
 Calluit artes.

Involutas has tenebris, *Amice*,
 Protrahis scripto Themidi sacroto
 Quo modi, verum quibus obtinetur,
 Enumerantur.

Jurium Vindex, *Themis alma*, cura
 Hunc sacerdotem. Tibi vix dicatur,
 Et tuum firmat folium! *Quis unquam*
Plura litabit?

Johannes Benjamin Paezel, Ged.

Nobilissimo ac Doctissimo

JOHANNI JACOBO SALOMON

S. P. D.

Adrianus Gottlieb Engelcke

Opp.

Quantum meum studium extiterit amicitiae nostrae confirmandae, non possum non, quin Tibi probandi neque hunc neque ullum praetermittam locum. Consuetudine et intima familiaritate, quae inter nos intercedit, Tibi devinetus sum et ad laudes Tuas bene meritas magis magisque manifestandas, obstrictus mihi videor. Fructus Tuae egregiae doctrinae jam percipis eos, qui maximi sunt, cum *Dissertatione* multo studio elaborata ante discessum praestantiam ingenii Tui nobilitare optime conaris. Gratulor ex animo de tanto in studiis Tuis progressu, gratulor de opere maxima industria atque cura elucubrato, et certissime confido, defensionem Tuarum positionum simili vel potius aequali applausu Te esse peracturum. Quid mirum igitur, si me felicissimum proclamo, quod Tu me jam multos ante annos in amicitiam Tuam receperis, quod me ad Tibi contradicendum provocaveris, atque sic occasionem mihi obtuleris, officia Tibi debita aliquantulum persolvendi. Summa jam adficior laetitia, summaque voluptate, ad id enim in me suscipiendum a Te *Amico meo Honoratissimo* impellor; quod et amicitia et honestas et honor et utilitas, imo ipsa necessitas

necessitas mihi suadet. Quapropter nihil mihi jucundius, nihil officiis meis convenientius esse potest, quam ut ad munere dissentientis fungendum me promptum paratumque sistendi periculum faciam. Insufficientia quidem virium mearum ab hoc conatu me avocandi justissimam habere causam videtur; splendidissimus apparatus principiorum Juridicorum et Philosophicorum, quo Tu gloriaris, et imperitia qua ego adhuc cinctus teneor, me non fugiunt, nihilominus tamen omnibus impedimentis neglectis, propositum meum eo majori animi impulsu exsequi studebo, quo major Tuus in me amor, quo maior nostra necessitudo semper invariabilis non modo extiterit, verum etiam, prouti credo, usque ad extremos vitae nostrae fines immutabilis extituta erit. Hoc unum a Te, *Amice Honoratissime*, majorem in modum pro Tua benevolentia peto atque contendeo, ut Tua amicitia et in posterum frui mihi permittas, quam a Te jam concessam esse certissime mihi persuadeo. Et in hac persuasione imo fiducia omnes felicitates Tuas, (quae ut indies a Summo Numine largissime cumulentur atque augeantur, ex animo Tibi precor) quasi meas esse duco, illasque fere mihi vindico; atque sic ego in Te semper colendo et observando omnem meam operam, curam, industriam, mentemque omnem ponam atque locabo. Vale. Dabam e Musaeo A. R. G.
 MDCCLIV. d. VI. Iduum Maji.

Wie? Freund! ich soll Dir heute weichen, und
 mich noch Deines Sieg's erfreun,
 Ich soll Dir selbst die Palmen geben? das wird mir
 fast unmöglich seyn.
 Doch ja das Weichen bringt mir Ehre: drum will ich
 mit zu Felde ziehn;
 Das wird uns keine Schande bringen, wenn wir zum
 Ruh der Wahrheit fliehn.
 Auf denn! bekrone Deinen Scheitel (so wie Du pflegst)
 mit ew'gem Ruhm:
 Durch Fleiß sich eignes Lob erkämpfen, ist nur der Wei-
 sen Eigenthum.
 Doch wenn ich denke, daß Dein Abschied, Dich, wehr-
 ter Freund, uns bald entzieht,
 So darfst Du Dich gar nicht verwundern, wenn mich
 Dein Auge traurig sieht.
 Doch nichts erstickt den adlen Eifer, = = = = erbeute
 Dir dafür den Lohn,
 Reis' glücklich, denke mein bisweilen, eis, Themis
 wartet Deiner schon.

G. J. Weickmann, aus Danzig.

Opp.




VD
18

ULB Halle
002 713 802



3

SL,



	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Centimetres	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
Inches	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	1	2	3	4	5	6	7	8	9	10	11	12	13	14	15	16	17	18	19
	Blue	Cyan	Green	Yellow	Red	Magenta	White	3/Color	Black										

Farbkarte #13

B.I.G.

ATIO IVRIDICA
DE
SERVENDAE
ITATIS
OCCESSIBVS

QVAM
PICIIS DIVINIS
ATQVE
AESIDIO
OTTLIEB PAVLI
PHILOS. DOCTORIS
M PROFESSORIS PUBLICI ORDINARII
IQVE INSPECTORIS
ORIO MAXIMO
MAII ANNI CICCCCLIV
X ANTEMERIDIANA
ICE DEFENDET
HIS VALEDICTVRVS
AVTOR
ACOBVS SALOMON
EDANENSIS.
D A N I
ANNIS SCHREIBERI, SENATVS
NAEI TYPOGRAPHI.